



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo manus albescant. Cap. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Quomodo manus albescant. CAP. XXVII.

Nec sunt spernendæ manus, quin eis reddatur albedo, leuitas & mollities, quæ expetenda sunt manus ornamenta. Sed leuitas, & albedo quomodo conciliari possint, iam diximus, remanet mollities, quæ non nisi pinguibus donatur.

vt lactescent manus.

Quæ lactea sunt sumito, scilicet amygdalas, pineolos, femina melonum, & cucurbitarum, similiumq; Amaras amygdalas igitur, pineorum conorum fructus, & micas panis conteres, post aqua hordei, in qua maduerint gummi tragacanthæ, remisce, & pastillos efformabis, his saponis vice uti poteris, quæ abluendæ sunt manus, nam abstergunt, & albedinem inducunt. Nos

ad idem

hoc sæpe vsi sumus: Amararum amygdalarum selibram sume, calida fouebis aqua, qua corticibus denudentur, inde marmorea pila contunde. Sume postea dracunculi minoris vncias binas, saponis ceruini, & mellis tantundem, omnia in amplioris fidelia remisce, & igni appone, leuiter reuoluendo lignea rude, ut optime permisceantur, & pyxidibus ad usum recondito. Si vis

vt mollicula fiant manus.

Recens butyrum nouies dulci aqua proluatur, postremo vero rosacea, & odorata, ut dirus odor diluatur, & ut nix alba proueniat, admisce deinde albam ceram, & plusculum olei amygdalarum dulcium. Inde chirothecas vino græco vocata lauabis ex more, & supra memoratam misturam perline, his manus induimus, quum cubitum pergimus, ut tota nocte manus pinguium rerum beneficio remollescant. Accipito deinde seminum persicorum, suis corticibus spoliatorum, seminum cucurbitarum, melonum, & papaueris albi, hordeaceæ farinae singulorum sesquiunciam, succum duorum limonum, sub cineribus decoctorum, his tantum admisceto mellis, dum in vnguinis formam crassescant, & ut aliquantulum bene oleant, tantillum moschi, vel zibethi

zibethi addere poterimus, quum cubitum pergimus, mane verò fontana aqua proluemus, & feces nucum olei bene expressarum, vel amygdalarū pro sapone habebimus, Alij hoc linimento contenti sunt. Ex limonum seminibus cremor exprimat, scilicet è duabus vncijs, olei tartari vna tantundem olei amygdalarum, remiscantur omnia. Sero quum dormitum pergimus, fontana aqua manus abluantur, resiccantur, & hoc linimento perungantur, & chirothecis tegantur. Accipito &

aliud.

Ossium boum medullas per hebdomadā frigida aqua macerabis, sed quater, aut quinquies in die mutabis aquam, & pro singulis medullarum libris accipito sex mala appia, quæ per medium findito, & semina eijcito, inde marmorea pila tenuissime conterito, & noua pila indito, vt suauius oleat. addito aliquantulū garyophyllorum, cinnamomi, & spice nardi, & aqua rosacea ebulliant, vbi optime liquida erunt omnia, exime, & per colum trajcito, & iterum acre lixiuium addito, & lento igne ebullire finito, quoad tota aqua absorbeat: inde vitreo vase ad vsum recondito, vel in offas efformato, Sequens valet

ad idem.

In limone foramen excuato, atque indito saccharum candidū, & butyrum, & operculo indito, cannabina stupa reuoluito madefacta, & sub calidis cineribus incoqui finito, & coctum remollescet, quum cubitum pergis, perline manus, ac chirothecis conde.

Alarum tædia quomodo emendare possimus.

CAP. XXVIII.

NON parum odibiles mulieres reddit alarum fætor, præsertim pinguium, & carnosarum: ad illum abolendum eiusmodi experimentis vti poterimus. Antiquitus aduersus alarum tædia liquido alumine cum myrrha illinebantur, vel arentium foliorum myrti farina inspergebantur fœmina, & alæ. Carduorum radix illita graueolentiam non solum alarum, sed totius

Bb 5